



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

11 Quid sit forma Metaphysica, & quæ materia illi respon deat, quamq[ue]  
causalitatem habeat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

Nihilominus tamen probabilius videtur, naturaliter loquendo, esse statum in generationibus rerum secundum speciem, quia virtutes causarum naturalium finitæ sunt, & modi seu aspectus & concursus, quibus applicantur, determinati sunt & finiti: & ideo licet in absoluta potentia creaturæ contineantur infinita, si in rebus & causis creatis fiant omnes conditiones & missiones, quæ absolute fieri possunt, tamē de facto secundum ordinem vniuersi tantum fieri possunt finitis modis: & ideo etiam verisimilius est in hoc processu dari statum ac terminum.

## SECTIO XI.

*Quid sit forma Metaphysica, & quæ materia illi respondeat, quamque causalitatem habeat.*



Voniam distinctio formæ in Physicam & Metaphysicam valde communis est, & quæ hæcenus diximus, omnia in Physicam formam conueniunt: videtur Metaphysici negotij esse, nonnulla etiam de Metaphysica dicere, quibus suppositis, quæ diximus, breuiter poterunt expediri, quia hæc solum per Analogiam, & quasi Metaphoram quandam, Formam nominatur. Est igitur aduertendum ex dictis in superioribus, præter compositionem Physicam ex materia & forma esse aliam, quæ illam imitatur: ex se tamen abstrahit à vera materia, & ideo Metaphysica nominatur. Est autem hæc duplex, quantum ad præsens spectat: altera ex natura & supposito, altera ex genere & differentia: omitto eam, quæ est ex esse & essentia, quia obsecutus est: & quantum ad præsens attinet, nō interuenit in ea specialis aliqua ratio formæ, vt ex dicendis constabit. Deinde est considerandum in omni compositione, vt ex multis vni confurgere intelligatur, aliquid semper considerari vt materiam, & aliquid vt formam, tum quia compositio ex materia & forma est prima compositio realis, & maximè propria ac per se, & ideo per quandam analogiam ad illam omnis alia compositio declaratur: tum etiam, quia materia est quid informe, & imperfectum, & inchoatio quædam, & quasi fundamentum naturæ: forma vero est quasi pulchritudo, & perfectio ac consummatio naturæ: in omni autem compositione est aliquid quasi potentiale, quod est fundamentum, & inchoatio rei, & aliquid quod est terminus vel consummatio rei: & ideo semper aliquid consideratur vt materia, & aliquid vt forma. Quod adeo verum est, vt etiam in compositione ex partibus integritatis, quæ maxime materialis esse videtur, semper vna pars consideretur vt materia, & altera vt forma: quod clarius apparebit in rebus heterogeneis, vt in homine, caput est veluti forma aliarum partium: & in artificialibus rebus, v.g. est quasi forma ædificij: iuxta quam analogiam distinguunt etiam Theologi materias & formas Sacramentorum. Et in rebus homogeneis, vbi inter partes non potest distingui illa diuersa habitudo propter earum similitudinem, & vniformitatem, omnes partes dicuntur esse materia totius, compositum autem comparari vt forma ad singulas partes. In quibus omnibus non intercedit specialis causalitas, sed sola vni cum Analogia, & proportionem ad materiam & formam.

Ex his ergo intelligitur formam Metaphysicam in genere vocari, quæ in compositione Metaphysica constituit essentialiter rem ipsam, vel complet aut aduatur essentiam rei: nec potest aliter describi hæc forma, ita in communi sumpta. Est autem discrimen inter duas compositiones Metaphysicas supra dictas, quod prior, scilicet ex natura & supposito, est compositio rei (in creaturis loquimur) id est, ex iis, quæ in re ipsa aliquo modo actu distinguuntur, vt sunt

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

natura, & subsistentia, de quibus diffusè infra tractabimus: posterior vero est compositio rationis, quia eius extrema in re non distinguuntur actu, sed ratione tantum, vt in superioribus visum est. Est etiam alia differentia, quod in priori compositione vnum extremum est tota essentia rei: aliud vero non spectat intrinsecè ad essentiam, sed est terminus aut modus essentia: in alia vero compositione vtrumque extremum est essentialiter, & neutrum dicit totam essentiam rei explicitè seu actualiter, licet confusè totam illam includere possit. Vnde fit, vt prior dici etiam soleat forma totalis, realis ac propriissimè Metaphysica: posterior vero magis est forma secundum rationem, & ideo non tantum Metaphysica, sed etiam Logica appellari potest.

*Forma Metaphysica essentia ostenditur.*

Dicendum est ergo primò formam propriè Metaphysicam, quæ est forma totius, nihil aliud esse, quam totam rei substantialis essentiam, quam etiam integram naturam rei appellamus, quæ non dicitur forma, eò quod specialiter exerceat propriam causalitatem formæ, sed quia rem essentialiter constituit per se ipsam. Declaro & probo singula: nam in homine, v.g. hæc forma totius dicitur esse humanitas, quæ cum ex materia & forma hominis constet, totam essentiam hominis dicit: id enim quod homo addit humanitati, non est de essentia hominis, vt infra dicemus tractando de subsistentia, & in mysterio Incarnationis breuiter pater, nam in Christo est tota essentia hominis, quamuis non sit humana subsistentia creata. Præterea hæc forma totius non tantum in rebus materialibus, sed etiam in spiritualibus reperitur: imò non solum in rebus creatis, sed etiam in Deo ipso à nobis consideratur: concipimus enim Deitatem, vt formam essentialiter constituentem Deum, & quodlibet suppositum diuinum quatenus hic Deus est: quamquam illi sit proprium in re ipsa non distingui ab eo, de cuius essentia est: in quo deficit ab ea ratione formæ, quam essentia habet in rebus creatis: quia illa non pertinet ad perfectionem simpliciter, sed imperfectionem includit: ergo hæc forma in rebus immaterialibus nihil aliud esse potest quam earum essentia. In materialibus autem differt hæc forma totius à forma Physica & partiali, vt constat ex communi vsu harum vocum, & ex ipsa distinctione formæ Physicæ à Metaphysicæ: non differt autem nisi quia forma totius dicit totam naturam compositam ex materia & forma: forma autem Physica solum dicit partem formalem: ergo hæc forma Metaphysica etiam in his rebus dicit totam essentiam earum. Quia, vt infra ostendemus in disputatione de substantia materiali, etiam materia est de essentia huius substantiæ & ita natura composita ex materia & forma est tota essentia eius: atq; ita patet prima pars conclusionis.

Quod vero hæc forma Metaphysica soleat naturæ nomine propriissimè appellari, constat primò ex vsu: sic enim tribuimus etiam Deo naturam diuinā, intelligentiis angelicam, hominibus humanam, & sic de cæteris rebus. Deinde hoc modo distinguimus naturam à supposito, vel ex natura rei, vt in substantiis creatis, vel ratione tantum, vt in diuina: atque hoc modo dicimus naturam in Deo non generare, sed suppositum, & Verbum diuinum assumpsisse naturam, non personam humanam. Item, vnaquæque res per suam naturam habet, quod talis sit, & quod essentialiter distinguatur ab aliis: ergo natura rei substantialis adæquatè (vt ita dicam) est ipsa totalis forma, qua talis est essentialiter. Denique natura, vt communiter censetur, dicit ordinem ad operationem, in quo solum differt ab essentia, quod essentia nomen sumptum est ex ordine ad esse: nomen autem naturæ sumptum est ex ordine ad operationem: natura

Gg 2

tura

III.

*Forma Metaphysica est tota rei essentia.*

IV.

*Forma Metaphysica natura nomine insignitur.*

Vide Da-  
ma, lib. 3.  
de fid. c. 13.  
14. & 15.

tura enim dicta est quasi aliquid nasci faciat: vnde dicitur natura non esse otiosa, & esse rerum opifex, & nihil facere frustra, &c. Vnde etiam Theologi dicunt facultates, & operationes multiplicari multiplicatis naturis. Primum autem & adæquatum principium principale operationum in vnaquaq; re est essentia eius, quod in rebus immaterialibus manifestum est: in rebus autem materialibus videtur esse forma principium operandi, quod est principium formale & actiuum, tamen, quia materia in suo genere aliquoetiam modo concurrat, præsertim ad naturales, & intrinsecos motus, vel actus, ideo dixi, adæquatū principium primum & radicale esse vniuscuiusque rei essentiam: ergo ipsa essentia & forma totius idem est quod vniuscuiusque rei natura.

V.

Scio Aristotelem 5. Metaphysic. 4. varias assignare significationes huius nominis natura, & inter eas vltimo loco ponere eam, qua significat rei substantiam vel essentiam, quam dicit esse per translationem ab alia significatione, qua natura significat formā, quæ est terminus generationis. Et in 2. Physic. c. 1. rationē naturæ ad solum primum principium intrinsecum motus coarctat: & inde solet ens naturale de solis substantiis materialibus dici. Existimo tamen hæc esse intelligenda de hac voce natura quantum ad eius impositionem, non vero quantum ad rem significatam: hæc enim valde distincta esse solent in his nominibus Analogis, vt recte notauit D. Thom. 1. part. quæst. 13. ar. 6. Quantum ergo ad vocis impositionem, verisimile est hanc vocem prius significasse alia, quæ Aristoteles ibi numerat: vt, verbi gratia, generationem naturalem, & præsertim ortum seu natiuitatem viuientium: dicitur enim natura quasi

Etymologia nomi-  
nis natura  
& sua  
significatio  
vltima.

nascitura, & inde derivari potuit vox ad significandam intrinsecam principia rei genitæ, scilicet materiam & formam. Vel, vt D. Thom. ait 1. part. quæst. 29. art. 1. ad quartum, quia natiuitas viuientium est à principio intrinseco, ideo derivata est hæc vox ad significandum primum principium intrinsecum motus, quod est materia & forma. Et quia per formā completur essentia rei, tandem derivata est illa vox ad significandam rei essentiam. Et quia antiqui Philosophi, qui disputabant de natura, non cognoscebant alias substantias nisi materiales, ideo illis solis tribuebant naturam, & inde peculiariter obtinuerunt nomen entium naturalium.

VI.

At vero, si rem significatam spectemus, & de hac voce metaphysicè potius, quam physicè, loquamur, hæc vox absolute & principaliter significat essentiam simpliciter & integram vniuscuiusque rei, prout per modum formæ totalis significatur. Et in rebus immaterialibus simplex est: in materialibus autem est composita ex materia & forma, quia nec materia, nec forma est integra rei natura, sed partialis: integra vero rei natura est composita ex vtraque: & ideo merito forma totalis metaphysicè dicitur. Accidentia vero, sicut non habent essentiam simpliciter, ita nec naturam nisi cum addito, scilicet naturam accidentalem, & propriis dicuntur esse secundum naturam, vel contra, aut præter naturam. Quapropter in accidentibus, vt infra videbitur, non habet propriè locum hæc ratio formæ totalis, de qua nunc agimus (loquor secundum rem, quidquid sit de possibili modo concipiendi nostro) & ratio est, quia accidens est forma quasi partialis & physica, vnde in se est natura incompleta, & adeo imperfecta, vt non faciat vnum per se, sed per accidens cum suo subiecto: & inde fit, vt ex vtroque non resultet vna integra natura & forma totius, sicut ex materia & forma substantiali.

VII.

An forma  
Metaphysi-  
ca aliqua  
causalitatem  
exercet.

Vltima denique pars conclusionis facile potest ex omnibus dictis probari, nam in primis, cum hæc forma totius in rebus materialibus includat ipsam materiam primam, non potest propriam causalitatem formalem exercere, quæ consistit in actuando aliquo subiecto. Item in rebus immaterialibus, cum

tota essentia sit simplex, & abstrahens ab omni receptiuo, non potest dici forma propter propriam causalitatem formalem. Et, si ex Theologia argumentari licet, humanitas Christi est forma Metaphysica huius hominis Christi, & tamen non est vera forma Verbi diuini, habens veram causalitatem in illum, ratione cuius dicatur formaliter constituere hunc hominem. Et extendi potest argumentum ad quamlibet naturam respectu proprii suppositi, nam vel comparatur natura ad substantiam ipsam, vel ad compositum ex natura & substantia. Respectu substantiæ natura non habet causalitatem formalem, sed potius quasi materialem (omitto actiuam, de qua postea) quia substantia propria non comparatur ad naturam vt subiectum eius, sed vt terminus ipsius. Vnde potius substantia est aliquo modo actus naturæ, quam esse conuerso. Item, quia substantia est modus naturæ, vnde afficit, & aliquid actuatur illi, secundum hanc ergo comparisonem non exercet natura causalitatem formalem. Vnde in dicto exemplo demyterio Incarnationis dicitur Theologi humanitatem non solum comparari ad Verbum vt formam eius, sed potius Verbum se habere vt formam, quatenus aliquo modo perficit & actuatur humanitatem, quæ nulla propria ac vera causalitas ibi intercedat.

Atque hinc vltimus sit etiam respectu totius compositi seu suppositi, naturam integram non vocari formam totalem, propter veram ac propriam causalitatem formæ: quia nunquam est hæc causalitas respectu compositi, nisi primò & immediatè exerceatur circa aliquod subiectum, ex quo & formæ compositum resultat. Si ergo natura totalis non exercet causalitatem formalem circa aliud extremum huius compositionis, nec circa totum compositum potest illam exercere. Restat igitur, vt natura integra dicatur forma, solum quia est tota quidditas, ratio seu essentia intrinsece constitutens suppositum in tali genere vel specie. Quæ constitutio non est per causalitatem ab ipsa natura aliquo modo distinctam, sed est per intrinsecam actualitatem, & entitatem ipsius naturæ totalis. Et propter hoc etiam dicitur hæc forma Metaphysica & non Physica.

Vnde etiam obiter intelligitur huic formæ nullam propriam materiam respondere, quia vt dictum est, non appellatur forma eo, quod informet aliquod subiectum, sed si generatim loquamur, solum suppositum correspondet huic naturæ tanquam essentialiter constitutum per ipsam. In rebus vero materialibus potest natura integra comparari vt forma totalis ad partes naturales, ex quibus componitur, nam licet altera earum sit forma, tamen quatenus tam materia, quam forma est quædam pars incompleta, & ex se imperfecta, potest comparari vt materia ad totam naturam compositam: & hæc tanquam quid totum & completum comparatum ad partes tanquam forma: totum enim se habet vt forma respectu partium, teste Aristot. 2. Physic. text. 31. quamuis ibi de toto integrali respectu suarum partium potissimum loquatur.

Tandem intelligitur ex dictis hanc formam tantum esse posse vnam respectu eiusdem patet, quia dicit totam rei naturam: hæc autem in vna re non potest esse nisi vna. Nec refert, quod secundum rationem distinguant possint in eodem, forma totius specificæ & genericæ, vt humanitas, animalitas, &c. nam si hæc sumatur respectu eiusdem, non sunt in re plures formæ, sed vna & eadem diuersimodè concepta: & quatenus illa concepitur vt plures secundum rationem, non sumitur respectu vnius, sed plurium, etiam secundum rationem: animalitas enim non est forma totalis hominis, sed animalis vt sic: atque ita, seruata proportionem, forma totius vna tantum est respectu eiusdem.

Solum potest dubitare aliquis circa conclusionem politam, nam forma totalis, si est forma suppositi,

rei, non tantum includit essentialia principia, sed etiam principia indiuiduantia, quæ non sunt de essentialia rei: quia forma totalis, & natura integra Petri non est tantum humanitas, sed hæc humanitas: ergo falsum est hanc formam solum includere totam rei essentialiam. Deinde sequitur, non includi existentiam in hac forma, quia hæc etiam non est de essentialia. Consequens autem falsum apparet: nam si non includit existentiam, quo modo realiter constituit? Ad hæc vero dicendum est, hanc formam sumendam esse cum proportionem respectu illius, quod per illam constituitur: & sic semper dicit integrum & solâ naturam, & essentialiam eius. Nam si comparatur ad speciem communem præcisè sumptam, includit tantum principia essentialia specifica, & humanitas dicit formâ totalem hominis. Si vero ad determinatum indiuiduum comparatur, sic includit principia essentialia indiuidua, & particularia, quæ licet non sint de essentialia rei, absolute loquendo, quia in hac voce includitur quædam præcisio mentis: sunt tamen de essentialia indiuidui ut indiuiduum est, ut supra declaratum est, tractando de principio indiuiduationis. Similiter dicendum est de existentia: nam licet hæc non sit absolute de essentialia rei creatæ seu creabilis, est tamen de essentialia eius, ut existentis, seu ut constituitur in ratione entitatis actualis: & ideo licet hæc forma non includat, nisi rei essentialiam, tamen ut eam actualiter constituat, includit existentiam, non tantum ut necessariam conditionem extrinsecam, aut concomitantem, sed etiam ut intrinsecè constitutorem actuale entitatem ipsius nature per quâ formaliter constituit talem substantiâ, vel substantiale indiuiduum.

Quid sit forma Logica.

XVII. Deo secundò: Forma Metaphysica secundum rationem (quæ Logica etiam appellatur) præcipue dicitur de differentia essentiali: tamen secundum aliquem respectum attribuitur etiam generi, atque etiam definitioni: unde hæc forma non habet propriam causalitatem realem, sed rationis tantum, & proportionalis materia illi correspondet. Tota hæc assertio est clarissima, & constat ex communi usu loquendi, suppositis, quæ de re ipsa dicta sunt supra tractando de vniuersalibus, ubi declarauimus quomodo genus & differentia inter se comparantur, & unde sumantur: Vbi inter alia diximus cum Aristot. 7. Metaph. tex. 42. & 43. ex genere & differentia confluere vnum per se, quia proximè inter se comparantur, ut potentia & actus eiusdem generis, & per se ordinata inter se, ubi D. Thom. lect. 12. part. 2. declarat non comparari genus & differentiam, ut potentiam & actum re distincta, sed quia dicunt eandem essentialiam ut determinabilem, vel per modum determinationis eius. Ex quo intelligitur differentia imitari formam in ratione actuandi, terminandi, ac distinguendi: & ideo illam esse, cui primo conuenit hæc ratio formæ Metaphysicæ: genus autem comparatione eius habere rationem materie: quia est potentiale quid, & actuabile, & indifferens ad multa, donec per differentiam intelligatur contrahi ac determinari: unde etiam fit, ut differentia ex se perfectior sit quam genus, quia id, quod intra idem genus se habet ut actus, perfectius est, quam quod se habet ut potentia. Unde etiam loco supra citato diximus, differentiam ex nobiliori principio sumi: in hoc ergo etiam est proportio inter formam & differentiam, quod sicut forma est perfectior materia, ita differentia genere. Rursus, sicut materia & forma re ipsa distinguuntur, ita ut neq. vna sit alia, neq. intrinsecè aliam includat, sic etiam genus & differentia separantur conceptibus, secundum quos ita distinguuntur, ut neq. in conceptu generis includatur actu differentia, neq. in conceptu differentia, genus, alioqui non esset propria compositio Metaphysica, neq. compositio.

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

pararetur ut proprius actus & potentia, quia de horum ratione est, ut non se includant: atq. hoc docuit Aristot. 7. Metaph. ubi supra, lib. 3. tex. 10. & 6. Topicor. c. 3.

Quo etiam fit, ut sicut materiæ per se ac necessario non conuenit, ut sit sub hac vel illa determinata forma, ita genus per se ac necessario non requirat determinatè aliquam ex differentis, quamuis aliquam in confuso necessario requirat, sicut materia requirit formam. In hoc autem est aduertenda differentia inter materiam & formam ex vna parte, & genus & differentiam ex alia, quod, licet materia naturaliter esse non possit sine aliqua forma, absolute tamen non implicat contradictionem ita conseruari: & similiter forma interdum potest non pendere à materia etiam naturaliter, & quæ ita pendet, potest nihilominus supernaturaliter sine materia conseruari: at vero genus & differentia ita per se coniungitur, ut omnino repugnet, aut genus sine omnibus differentis, aut differentiam extra genus, quod actuatur, subsistere. Et ratio est clara, quia genus & differentia in re non distinguuntur, sed dicunt eandem essentialiam ut determinabilem, & determinantem: & ideo mirum non est, quod non possint in re dicto modo separari. Itè, quia in re non potest esse aliquid, quod non habeat determinatam essentialiam, & consequenter in aliqua propria & vltima specie constitutam in qua necesse est, & communia seu generica prædicata, & propria includi: non possunt ergo hæc ita præcisè & abstractè subsistere, sicut concipiuntur.

Ex quo vltius intelligitur aliud discrimen, nimirum inter genus & differentiam non interuenire vniorem mediam distinctam ab ipsis, etiam secundum veram rationem concipiendi, sicut inter materiam & formam supra dicebamus intercedere modum vniionis in re distinctum ab eis, quia actualis vniio inter eas non est de intrinseca ratione earum, imò est separabilis ab ipsis: & ideo necesse est, ut inter eas mediet, & ab eis distinguatur. At verò genus & differentia ita per se vniuntur (vel potius sunt vnum in re, licet distinguantur ratione) ut prorsus sint inseparabilia secundum rem, & quodammodo secundum rationem: nam, licet conceptu præcisio possit differentia intelligi sine genere, tamen non potest concipi negatiue, ut existens sine genere, seu non actuando genus. Et ideo sicut in modis rebus, qui solum modaliter distinguuntur à rebus, quas modificant, dicimus non vniiri ipsis rebus per vniorem distinctâ, sed se ipsis: ita multo maiori ratione differentia concipienda est itaq. modus essentialis speciei, & per se ipsam contrahens & actuans genus absque alia vniione media.

Vltimò ex his intelligitur, differentiam, quatenus forma dicitur, non habere propriam causalitatem realem: quia causalitas realis non est, nisi inter ea, quæ in re ipsa distinguuntur: vel saltem necesse est, ut intercedat aliquis realis influxus, & causalitas distincta ex natura rei ab ipsa causa vel effectu: hic autem nihil horum interuenit, quia nec differentia est in re distincta à specie, nec à genere, prout per illam contrahitur. Neque etiam interuenit ibi aliqua causalitas ab ipsa differentia distincta. Est igitur hæc solum constitutio quædam secundum rationem ad modum concipiendi nostrum, quæ solū per Analogiam & proportionem ad realem causam, forma vel formalis causalitas appellatur. Idemq. de genere intelligendum est, quatenus ei ratio vel causalitas materiæ attribuitur. Nec refert, quod res ex his constituta, sæpe sit vera ac realis essentialia, ut homo, aut equus: nam licet talis essentialia in se realis sit, tamen ut sit composita, non est ens rei, sed rationis, cum compositio ipsa, rationis tantum sit.

Sed obiciet aliquis, nam si differentia comparatur ad genus ut forma, & genus ad differentiam ut materia: ergo vtræque comparatur ad speciem seu in specie.

Gg 3 def. prædicatur.

XIII.

XIV.

Qualiter genus & differentia vniiri intelligantur.

XV.

Differentia non causat realiter.

XVI.

Qualiter genus de tota materia in specie def. prædicatur.

definitum, ut pars ad totum: ergo neutra poterit absolute, & in recto predicari de specie: quia pars licet possit in obliquo, aut denominatiue predicari de toto, non tamen absolute, & in recto: non enim dicimus: Homo est materia, sed habet materiam, vel est materialis: erunt ergo falsae hae locutiones: Homo est animal, & similes. Haec obiectio solum proposita est ad declarandam alteram partem conclusionis, qua dicebamus & genus respectu specierum, & definitionem respectu definiti, solere formam metaphysicam appellari. Communis itaque distinctio est, genus (& idem est proportionaliter de differentia) dupliciter posse considerari, aut precise, ut dicit talem gradum, & in eo quasi sinit ex se: atque hoc sensu esse partem, & ut sic etiam non predicari de toto, quia redderet hunc sensum, hominem, verbi gratia, esse animal precise, & solitari, & abstracte sumptum, seu non plus esse, quam animal: qui sensus est plane falsus. Et genus sub hac consideratione comparatur ut materia ad differentiam, & e converso differentia ut forma ad genus. Et sic procedunt, quae hactenus dicta sunt. Atque in eodem sensu ad obiectionem conceditur totum, quod in ea inferitur, nimirum genus & differentiam esse partes, & ut sic non predicari: nec solum partes, sed etiam elementa ab Aristotele appellantur, praeterim differentiae, & genera summa, propter simplicitatem eorum, & quia in ea sit ultima resolutio in metaphysica, ut patet ex 2. Poster. c. 14. Alio vero modo consideratur genus ut totum, quod potentiale appellant, seu confusum, quia confusum dicitur totum quidditatem speciei: & hoc modo optime praedicatur de specie seu definito, quia iam non praedicatur ut pars, sed ut totum: & hic est communis sensus huius locutionis, cum enim dicitur, homo est animal, nihil ab homine excluditur, sed affirmatur, idem suppositum quod est homo, esse etiam animal: seu hominem eadem forma, & essentia, qua est homo, esse etiam animal: utrumque autem horum verum est. Genus ergo quatenus praedicari potest de specie ut quid superius ad ipsam, & quasi continens ipsam, dicitur aliquo modo habere rationem formae respectu eius, & e converso inferiora, quatenus superioribus subiiciuntur, & ea quodammodo in se sustinent, habent quandam rationem materiae. Et simili vel maiori ratione comparatur species ut forma ad indiuidua: hae vero ut materia.

## XVII.

Atque hoc sensu intelligo Aristotelem 5. Metaph. c. 2. cum utramque partem definitionis reuocat ad causam formalem: nam quantum ad genus spectat, id intelligendum puto, non formaliter ut pars est, sed ut totum quoddam est, ut explicui. At vero tota definitio, quia totam essentiam declarat, & propria ratio est ipsius definiti, & de illo propriissime praedicatur, ideo forma etiam Metaphysica dici potest, quauis non sit composita. Atque ita facile est omnes similes locutiones explicare, quae solum in Analogia quadam, & translatione consistunt.

## XVIII.

Solum superest breue dubium expediendum, quod oritur ex notanda differentia inter hanc formam Metaphysicam, & Physicam, quod forma Physica substantialis non multiplicatur in eodem composito, ut supra diximus: haec autem forma multiplicari potest: nam & genera eiusdem rei possunt esse plura, & differentiae similiter: imo & definitio quamuis totam rei essentiam continere & explicare videatur, nihilominus multiplex esse potest, ut constat ex 1. Poster. c. 7. & lib. 2. c. 8. & 12 & 2. de Anim. c. 7. Ratio autem differentiae facilis est, quia formae Physicae realiter distinctae ita comparantur, ut quilibet constituat perfectam & consummatam speciem substantiae, & earum compositio esse deberet realis, & Physica: & ideo repugnant in eadem substantia proprie ac per se una. At vero haec forma Metaphysica, nempe differentia nec facit realem compositionem, nec distinguitur ab alia differentia, nisi per metis praecisionem

& abstractionem: potest autem mens nostra eandem rem variis modis praecindere & abstrahere, & ideo potest in eadem, plura praedicata generis & differentiae concipere: quare multitudo differentiarum essentialium non obstat unitati, & compositioni per se ex genere & differentia.

## De turbe processuum in infinitum in praedicatis essentialibus.

Ex hoc vero discrimine oritur statim difficultas, nam sequitur dari posse processum in infinitum in his causis formalibus ac materialibus Metaphysicis, hoc est, in praedicatis quidditatiuis. Consequens autem est contra Aristot. 2. Metaph. cap. 1. ubi notum existimauit non posse dari processum in infinitum in partibus definitionis, quae sunt genus & differentia, quam in formis ipsis: & ideo ex negatione infinitorum praedicatorum probat negationem infinitarum formarum. Sequela autem probatur, quia non magis repugnat dari duas differentias in una re, quam tres, vel quatuor, & ita de quolibet numero: ergo potest in hoc numero in infinitum procedi. Praeterea, quia hic numerus praedicatorum non confugit ex rebus aut modis distinctis, qui sunt a parte rei in una & eadem substantia, sed ex conceptibus nostris cum aliquo fundamento in re: sed nos possumus infinitis modis praecindere, & abstrahere: & in rebus est fundamentum, ut id a nobis fiat propter varias convenientias & dissimilitudines, quas una res habet cum aliis, in quibus convenientiis hae abstractiones fundantur. Et maxime vrget difficultas, si una species non tantum comparetur ad alias species factas, sed ad omnes posibles, quae in infinitum, & infinitis modis multiplicari possunt.

Nihilominus absolute dicendum est cum Aristotele etiam in his causis formalibus non dari processum in infinitum. Ita docent omnes interpretes quibus varias afferunt rationes. Prima est, quia alias res constituta esset infinite perfecta, quia quodlibet praedicatum addit aliquam perfectionem. Sed forte negabitur consequentia, quia una finita perfectio potest esse fundamentum infinitorum conceptuum, quilibet dicant perfectiones ratione distinctas, non augere in re perfectionem. Secunda ratio est, quia si hae differentiae sunt infinitae, etiam proprietates, quae ad illas consequuntur, erunt infinitae. Sed respondebitur, ex differentia generica & specifica non semper consequi proprietates re distinctas, ut patet in his praedicatis substantiae, spiritualis, Gabrielis, &c. sed satis esse ut ipsae etiam proprietates secundum vniuersales, vel speciales rationes proportionate cor respondeant, ut in superioribus etiam tactum est.

Tertia ratio & maxime probabilis est, quia necesse est dari supremum genus, quod sit quasi prima materia huius compositionis, & differentia specifica & infima, quae sit quasi ultima forma: ergo etiam formae intermediae necessario sunt in numero finito & determinato. Maior probatur ab Aristotele, quia in his praedicatis quidditatiuis semper vnum est prius alio, id est, vniuersalius, & ad plura se extendens. sed non est prius, nisi quia magis accedit ad id, quod est primum: ergo necesse est dari etiam supremum aliquod genus. Deinde id patet experientia, discurrendo per omnia praedicamenta, & praecipue in substantia, quae immediate significat substantiam completam, est supremum genus: nullum enim potest vniuersalius respectu substantiarum cogitari: suppono autem ens non esse genus, quamquam licet esset genus, nihil obstar, nam illud esset supremum: & ita habemus, quod intendimus. Atque ita etiam nil impedit, si quis contendat hanc resolutionem debere fieri usque ad praedicata transcendens, quia, quamuis id esset verum, sifteretur in aliquo ultimo. Et ratio est, quia in omnibus rebus vel substantiis datur aliqua prima seu minima

hita convenientia essentialis, secundum quam abstrahi potest vel prædicatum transcendens vel supremum genus. Minor autem probatur ex ipsa constitutione speciei ultimæ, quia non potest esse illa res, quæ non sit in alia qua ultima specie constituta: alias non haberet determinatam essentiam, nec diuersam ab aliis determinatis speciebus: ultima autem species per aliquam differentiam ultimam constitui debet. Nec disputo nunc, an hæc differentia ultima sit simplex, an coalescens ex multis, quarum singulæ communes sint, ut significasse videtur Porphyrius in c. de differentia; & non parum fauet Aristoteles 1. Topicorum cap. 3. & lib. 6. Topic. cap. 3. & 4. & lib. 2. Poster. cap. 14. hoc enim ad præsens nil refert, quia si secundum necessarium est in differentia quæ per alias non aduocatur licet fortasse dux, vel tres ex his ad constituendam ultimam speciem conueniant: nunc enim solum de differentiis subordinatis procedit ratio facta. Prima autem consequentia videtur per se nota, quia inter extrema, primum & ultimum, non possunt dari infinita media, sicut supra de formis diximus: ratio enim ibi facta, & hic procedit.

XXII. Sed hæc ratio duobus modis eneruari potest: primo dicendo quod licet prædicata per se subordinata in vna linea per modum actus & potentie, finita sint, nihilominus non subordinata seu in diuersis lineis possunt in infinitum multiplicari, ut si quis diceret dari plura genera suprema; vel ad constitutionem ultimæ speciei conuenire plures differentias inter se non subordinatas, & hæc posse in infinitum multiplicari: vel vnum & idem genus, siue proximum siue remotum, posse simul contrahi pluribus differentis quæ non omnino inter se repugnant, nec sint inter se subordinatæ: ut verbi gratia, animal iuxta antiquos Philosophos contrahitur per rationale, & per mortale, quæ in homine conueniunt, in aliis separantur, & substantia posset immediate diuidi per viuens, & per corporeum, quæ in aliquibus substantiis conueniunt, in aliis separantur. Ex quo etiam consequi videtur, ut inter ipsas differentias sit quidam circulus, & vicissim & mutuo comparentur ut potentia, & actus: nam si substantia immediate diuidatur in viuentem & non viuentem, rursus substantia viuens diuidi poterit in incorpoream & corpoream, si autem e contrario substantia diuidatur in corpoream, & in incorpoream, corporea diuidetur in viuentem, & non viuentem. Quod si hoc non est inconueniens, quia sunt reflexiones intellectus, propter eandem causam non erit absurda multiplicatio illa prædicatorum in infinitum. Altera euasio esse potest, quia licet detur supremum genus & infima differentia, non repugnat inter ea posse per intellectum præscindi aut distingui plura prædicata inter media in infinitum, sicut inter extrema puncta lineæ dantur infinitæ partes, vel puncta: nam sicut hæc sunt infinita in potentia, ita illa prædicata, prout in re sunt, dici possunt esse plura tantum in potentia, quia in re non sunt actu multa nisi per intellectum distinguantur: & ideo licet intellectus possit plura & plura in infinitum distinguere, non sequitur in re esse infinita nisi in potentia. Ex quo etiam fit ut ea prædicata quæ nos actu distinguimus, semper sint infinita, tum quia nos non possumus nisi finitos conceptus de rebus formare, tum etiam quia omnes conuenientie & differentie cuiuslibet speciei ad alias quæ factæ sunt, in certo ac determinato sunt numero, etiam si respectu rerum possibilium possint fortasse in infinitum multiplicari. At que ita posset quis interpretari Aristot. de differentiis seu prædicatis essentialibus quæ de facto abstrahuntur, seu abstrahi possunt per discursum vel cognitionem humanam.

XXIII. Sed nihilominus existimo rationem factam esse inefficacem, & simpliciter fieri non posse ut prædicata in infinitum multiplicentur. Et in primis sumo respectu cuiuslibet rei dari tantum vnum genus vel

prædicatum supremum, & vnam differentiam ultimam. Et prior quidem pars satis probata est & ratione, & usu, seu experientia: de posteriori verò ab aliquibus dubitatum est, mihi tamen æquæ certa videtur. Primo quidem, quia differentia sumitur à format omnis autem forma specie diuersa ab alia, habet aliquem gradum essentialem sibi proprium, & non communem aliis: ergo ab illo sumi potest differentia omnino propria, & nulli alteri communis. Secundo, quia non potest species ultima constitui sola coniunctione duarum differentiarum communium, quia quælibet earum differentiarum constituit speciem subalternam & genericam: species autem ultima non est aggregatum duarum specierum subalternarum: alioqui neque esset vna propria & specialis essentia, neque esset vnum compositum Metaphysicum, ex proprio actu, & propria potentia constitutum. Ut verbi gratia, in illo exemplo de homine, si rationale & mortale sumerentur ut differentie subalternæ & communes, nunquam ex aggregatione illarum constitueretur homo: sed sumendum est rationale ut est proprium hominis, id est, ut includit discursum, seu aptitudinem ad illum: hoc autem modo rationale erit simplex differentia propria hominis: mortale verò est de se differentia subalterna, & communis, non quidem aliis ratione ventibus: nullum est enim rationale aut intellectuale mortale præter hominem, sed aliis sentientibus aut viuentibus. Sic ergo in omnibus speciebus rerum contingit. Et hoc est quod Aristoteles dixit 7. Metaphysic. tex. 43. procedendum esse in diuisione differentiarum communium, donec ad indifferentia deueniatur: id est ad ultimas & omnino proprias differentias, ut D. Th. & omnes exponunt: & tunc (inquit Arist.) tot erunt species, quot differentie. Quælibet enim individualis differentia (addit Diuus Thomas) constituit vnam speciem specialissimam.

Aristoteles dicitur excluditur.

Hoc autem principio posito, quod differentie intermediae tantum esse possint in numero finito, declaratur in hunc modum. Et primo si differentiales gradus essent in re ipsa distincti, euidenter est non posse esse nisi finitos, quia essent actu plures: ergo finiti, vel infiniti: in re autem finita non possunt esse infiniti gradus perfectionum distinctarum: erunt ergo finiti. Eò vel maxime quod illi gradus non intelliguntur esse inter se communicantes, sicut partes proportionales, sed omnino condistincti, & indiuisibiles, neque etiam ita comparantur ad rem sicut puncta ad lineam, quæ ita sunt indiuisibilia, ut non augeant quantitatem lineæ, sed vnaquæque differentia addit certum gradum ac quasi determinatam partem perfectionis, ex quarum partium coniunctione consurgit integra perfectio speciei, quæ cum finita sit, non potest nisi ex finitis quasi partibus consurgere. Vnde sicut in latitudine intensiua qualitaris finire, non possunt distingui nisi finiti gradus inter se non communicantes, ex quorum coniunctione consurgat tota qualitaris intensio finita, ad eundem modum est in gradibus differentialibus proportionate philosophandum. Quamuis autem hi gradus iuxta veriorum sententiam in re non distinguantur actu; tamē discursus factus eandem vim habet in ordine ad distinctionem & conceptionem mentis nostræ, quia etiam ut ratione distincti, concipiuntur ut inter se non communicantes, si gradus ipsi præcisè ac formaliter sumantur, ut sumi debent. Nam vna differentia subalterna non includit aliam, quia neque inferior est de conceptu superioris, neque e conuerso: sunt ergo differentiales gradus intermedii omnino condistincti, & non communicantes inter se: ergo ex hac parte distinctio illorum, etiam si sit secundum rationem, non potest procedere in infinitum, nec comparari potest cum diuisione partium continui. Aliunde vero quilibet illorum graduum indiuisibilis est secundum conceptum: nam quælibet differentia,

XXIV. Intermedia differentia finiti numero clauduntur.

siue generica, siue specifica, indiuisibilis est, estq; taliter indiuisibilis, vt augeat essentialiter rei perfectionem in ordine ad conceptum mentis: ergo etiā in ordine ad mentis conceptum non potest essentia finita diuidi vel cōstitui per huiusmodi differentias nisi numero finitas, quā cum indiuisibiles sint, non poterit in earum diuisione procedi in infinitum.

XXV.

Et ita manet efficax consequentia facta in tertia ratione, & cessat obiectio insinuatā in secunda euasione, quia in re finita non possunt contineri, etiam in potentia, infinita inter se communicantia, & augmenta perfectionem seu quantitatem rei. Quare, si semel concipiantur, & ratione distinguantur omnes differentiae, quae in essentia rei fundari possunt, earū numerus augeri nō poterit, siue respectu rerum existentium, siue possibilium: per illas enim conuenit, aut differt ab omnibus, tam quae sunt, quam quae esse possunt.

XXVI.

Et inde etiam facile excluditur prior obiectio, nā quacunque ratione multiplicentur differentiae, & siue subordinatae sint inter se, siue non, non possunt esse nisi in numero finito propter dictā causam: quia, scilicet, finita perfectio non potest etiam mente diuidi in plures quasi partes inter se non communicantes, nisi solum in numero finito. Probabilius autem est differentias omnes, quae ad vnius essentiae constitutionem conueniunt esse aliquo modo inter se subordinatas vt potentiam & actum: alias non possent vnum per se constituere. Neque etiam verisimile in hoc committi circulum, cum habitudines actus & potentiae adeo sint inter se oppositae.

XXVII.

Quocirca quamuis idem genus variis modis à nobis diuidatur, non tamen semper diuiditur per proprias & immediatas differentias, quibus proxime contrahitur & actuatur: & ideo fieri aliquando potest, vt duae differentiae inter se comparentur vt actus & potentia. Vt in exemplo posito licet substantia diuidi possit per corpoream & incorpoream, viuētem & non viuētem, semper prior diuisione est immediata & proxima: cuius signum est, quod illa sumitur quasi ex intrinsecis principiis, & absoluta entitate rei: haec verò sumitur in ordine ad operationem: & ideo differentia viuētis, prout est in rebus corporeis, semper comparatur vt actus, & non vt potentia ad gradum corporeum. Et quamuis illa differentia reperiatur etiam in rebus incorporeis, tamen reperiatur longe diuerso modo, quia substantia incorporea est (vt itadicam) totaliter viuēs, id est, viuī ratione totius substantiae suae, corporea verò ratione partis: quo speciali modo sumi videtur, cum ponitur differentia corporis. Et quamuis demus posse dari communem differentiam viuētis abstrahentem ab illis duobus modis, inde ad summum fit, aliqua genera non subalternatim posita habere differentiam communem; quod fortasse non est inconueniens: ita enim censuit Arist. 6. lib. Topic. de quo alias.

XXVIII.

Sicigitur satis declarata & confirmata manet tertia ratio; & prima etiam ex praedicto discursu robur accipit. Secunda verò, si non de proprietatibus in rigore, vt dicunt facultates operandi, aut aliquam aliam rem à substantia distinctam, sed de quolibet modo essendi vel operandi intelligatur, defendi potest, quia haec genera & differentiae maximè distinguuntur à nobis per ordinem ad aliquam proprietatem huiusmodi. Vltimo addit Aristot. aliam rationem, nempe, quia si in his differentiis esset processus in infinitum, nunquā posset res à nobis satis distincte cognosci aut definiri, quia cognitio seu definitio omnino distincta incipit à supremo genere, & per adiectionem omnium differentiarum peruenit vsq; ad vltimam; quod fieri non posset, si illae essent infinitae. Quod maxime habet locum in cognitione humana, quae paulatim procedit ab vna ad aliam, quo modo impossibile est in infinitum pertransiri, successiue numerando, vt constat ex 3. Phy. c. 7. & satis est per se notū.

Alia pro  
elusione ra  
tio Aristote  
li.

## DISPUTATIO XVI.

## De formali causa accidentali.



Vltima, quae de substantialibus formis dicta sunt, accidentalibus applicari possunt: conueniunt enim aliquo modo in ea communi ratione, & secundum eam multa habent communia, quae hic repetere non oportebit. Tandem ergo explicabimus, quomodo haec causalitas accidentibus conueniat, & an secundum eam rationem aliquid habeant singulare.

## SECTIO I.

Utrum omnia accidentia veram exercent casualitatem formalem, & circa quem effectum.



Ratio dubitandi est, quia accidens neque est causa formalis sui subiecti, nec compositi: ergo nullum effectum habet: ergo neq; veram, ac per se causalitatem. Haec vltima consequentia est euident, quia causa & effectus correlatiua sunt: prima verò constat à sufficienti partium enumeratione, antecedens autem quoad priorem partem probatur, quia subiectum accidentis est substantia: nō potest autem accidens esse causa formalis substantialis. Quoad posteriorem verò partem probatur, quia si accidens esset formalis causa compositi, tale compositum esset per se vnum, quia ex causa propria & per se confurgit proprius ac per se effectus: sed compositum ex accidente & subiecto non est per se vnum: ergo.

Circa hanc quaestionem referri potest opinio Aureoli apud Capreolum in 2. distinct. 18. quaestione, dicentis nullum accidens habere propriam entitatem formae, per quam formaliter afficiat subiectum, sed esse ipsam actuationem. Quod vix intelligitur, quid significet, nisi fortasse intellexit, nullum accidens esse rem distinctam realiter ab entitate substantiae, sed modum tantum, quod multis modis repugnat, & dissonat veritatibus fidei. Quis enim intelligat, accidentia in Eucharistia separari, & manere sine entitate substantiae, & quod non habeant propriam aliquam entitatem, distinctam realiter ab entitate substantiae? Item, quomodo potest recte intelligi tota doctrina, quam fides docet de qualitatibus infusis, si ille non habent proprias entitates distinctas ab entitate naturali substantiae? Est praeterea illa sententia contra experientiam, quantum res physica esse potest: quis enim videt aerem illuminari nunc, & postea amittere lumen, non fere videat oculis lumen esse entitatem quandam distinctam à substantia aeris? Omitto alias, quae de quantitate, qualitate, &c. suis locis dicemus. Praeterea, illa sententia in eo sensu nulla ratione probabilis nititur, & enim repugnat rationi accidentis, quod habeat entitatem propriam distinctam à substantia, & naturaliter pendente ab illa? Fortasse tamen non fuit hic sensus illius authoris, sed quod accidens, siue sit res distincta à subiecto siue non, in re nō distinguatur ab actuatione seu inhaerentia in subiecto: omnia enim argumenta quae ibi refert Capreolus, ad hoc tendere videntur, iuxta quem sensum non excludit, quin accidens esse possit verè ac propriè forma, male tamen explicat formalem causalitatem eius. Estque etiam in hoc sensu periculosa sententia, vt vbi notat Capreolus: nam si informatio, vel quod idem est inhaerentia accidentis, nō est in re distincta ab illo, intelligi non potest, quomodo accidens sine sua actuali inhaerentia conseruetur.